EX JURE PUBLICO
de
POTESTATE IMPERATORIS
CIRCA CONCESSIONEM PRIVILEGIORUM,

publicè differendo

Demandatum sibi munus Professorium

ad d. 9. Septembris

Bonô cum Deô solenniter auspicabitur

IO. IACOBUS MOSER,
J. U. D^d. EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS EXTRAORDINARIUS,



Respondente

LUDOVICO ACHATIO MOHR, Chæropolitano.

TUBINGÆ,
Excudit *Josephus Sigmund.*
MDCCXX.

Z.

SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

EBERHARDO LUDOVICO,

D. G. DUCI WURTEMBERGIÆ ET TECCIÆ, COMITI MONTISPELIGARDI, DYNASTÆ IN HEIDENHEIM. ETC.

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS, S. ROMANO-GERMANICI IMPERII, ATQUE INCLYTI CIRCULI SUEVICI GENERALI CAMPI MARESCHALLO, NEC NON TRIUM LEGIONUM EQUESTRIUM ATQUE PEDESTRIUM CHILIARCHÆ.

ETC. ETC.

PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO,

INAUGURALEM DISSERTATIONEM

HANCCE MEAM

TANQUAM

FIDEJUSSOREM CHARTACEUM

ANIMI ÆTERNUM GRATISSIMI ATQUE
DEVOTISSIMI

SISTO,

EJUSDEMQUE PRINCIPALI GRATIÆ

CUM VOTO CALIDISSIMO


PRO

PERENNI AUGUSTÆ DOMUS FELICITATE

ATQUE
INVIDENDIS PRORSUS EJUS RERUM SUCCESSIBUS
MEMET PROPORRO

QUAM POSSUM HUMILLIME ITERUM ITERUMQUE
COMMENDO.

IO. IACOBUS MOSER.



DISSERTATIONIS DE POTESTATE IMPERATORIS CIRCA CONCESSIONEM PRIVILEGIORUM *CONSPECTUS.*

peratoriorum extendit se per omnes Gentes moratiores.

§. *XVII. Princeps subdito suo ab Imperatore Privilegio macto interdicere nequit, ne Privilegiô suô utatur.*

§. *XVIII. Privilegia Imperatoris effectu destituuntur si sint contrà Leges Imperii, aut Jura Statuum.*

§. *XIX. Sex modis & gradibus restricta est Imperatoris potestas circa concessionem Privilegiorum.*

§. *XX. 1. Servare debet quadam monita* (a) *in largiendis Privilegiis, qua in prajudicium Imperii, Statuum vel tertii vergere possent.*

§. *XXI.* (b) *In dandis Privilegiis de non appellando, non evocando, Electionis fori. &c.*

§. *XXII.* (c) *In Collatione majorum Dignitatum.*

§. *XXIII. 2. In scribendis Privilegiis circa modum concedendi observare debet:* (a) *ut expediantur in Cancellariâ Imperii.*

§. *XXIV.* (b) *Prius non valeant, quam redemta fuerint è dictâ Cancellariâ.*

§. *XXV.* (c) *Et quidem intrà tres menses.*

§. *XXVI.* (d) *Prater hac Privilegium super teloniis tradi non debet antea, quam reversales litera reddantur.*

§. *XXVII. 3. Impetrare debet consensum Electorum in indultu Juris Stapula.*

§. *XXVIII. 4. Accedat necesse est approbatio Electorum, auditis quoque certis Circulis,* (a) *in concessione novi vel aucti vectigalis.*

§. *XXIX.* (b) *In tribuendô Jure cudenda moneta.*

§. *XXX. 5. Omnes Status consentire debent in Privilegium Exemtionis vel Moderationis.*

§. *XXXI. 6. Prohibetur dare Privilegia, in genere* (a) *exorbitantia.*

§. *XXXII.* (b) *Contra antiquiorà Statuum Privilegia.*

§. *XXXIII. In specie* (a) *circa Monopolia.*

§. *XXXIV.* (b) *Exemtionis à Vectigalibus.*

§. *XXXV.* (c) *Exemtionis subditorum à potestate Principis & oneribus.*

§. *XXXVI.* (d) *Dignitatum, Titulorum & Insignium, vergentium aliorum in prajudicium.*

§. *XXXVII. Dissertationi finis imponitur.*

§. I.

§. I.

PRivilegia cujuscunque generis concedendi facultas Jus Civile Romanum si respicias, pars est potestatis Legislatoriæ, & non, nisi ei competit, qui & universales Leges condendi jure gaudet; (a) cujus ratio facilè patet, quia scilicet Privilegium est exemtio à Jure communi ex speciali æquitate, ob quam generalior temperanda videtur, concessa. Jam verò, qui eximit à Jure communi, is illi omninò derogat, immò, dùm à communis Juris vinculô quem sölvit, novam Legem, & quidem universalem condit, cùm ad ejus observantiam perinde ut ad aliarum Constitutionum generalium, teneantur omnes concedentis subditi, ita scilicet, ne quisquam Privilegiato in usu sui privilegii sit impedimentô, & Privilegium Jus singulare dicatur non eorum respectu, qui eodem obligantur, quasi quædam atque singulares modò personæ illô stare tenerentur, sed respectu ejus, cujus in favorem id est indultum, & qui utilitatem atque commodum inde percipit, (b) & hinc talem, qui Privilegium rei vel personæ tribuere cum effectu voluerit, Jus commune statuminandi potestate instructum esse debere naturalis ratio suadet atque dictitat.

§. II.

Aliter tamen hæc se habent in Imperiô nostrô Romano-Germanicô, quippe in quô Leges universales ferendi facultas minimè pendet ex solô Augustissimi Imperatoris arbitriô, sed vel Ipsô hoc fatente (c) & quotidianâ praxi atque Observantiâ

(a) Vid. quem honoris causâ nominamus, Magnificus Præceptor noster, Dn. ERNESTUS THEOPHILUS MAJER in solidâ Juris Civilis eruditione refertô *Comment. ad Instit. Tit. de J. N. G. & C. §. 3. p. m. 94.*

(b) Distinctè rem proponit JOACHIMUS HOPPIUS *in Comment. ad Instit. l. c. T. I. §. 6. p. m. 36. not. 1.*

(c) Cujusmodi loca suppeditat Ill. Dn. GABRIEL SCHWEDER, (quem in hoc studiorum genere habuisse Præceptorem inter præcipuas meas feli-

tiâ illud ipsum attestante, vi Legum ejus fundamentalium (*a*) in hoc negotiô cum Imperatore concurrunt quoque Status Imperii, (*b*) vel in Corpore in Comitiis, vel, qui certis in casibus hoc repræsentant, (*c*) Electores, aut ex Ordine Statuum ad id deputati

citates connumero) *in Introd. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. I. Cap. 25. §. 2. p. m. 554.*

(*a*) Vid. ex. gr. *Instrum. Pac. Cæsar. Suecic. Art. VIII. §. 2.* ubi: *Gaudeant* (Status) *sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim, ubi Leges ferendæ vel interpretandæ - - - nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragiô & consensu. &c.* Novissimâ quoque in Lege Imperii Fundamentali, Augustissimi Imperatoris CAROLI VI. (quem Deus servet!) *Capitulat. Art. 2.* de hoc ita disponitur: Dieselbe (Leges Imperii) mit consens Churfürsten / Fürsten und Ständen / wie es die Reichs-Gelegenheit jederZeit erfordert / besseren / keines Weges aber ohne Churfürsten / Fürsten und Stände auff Reichs-Tägen gleichmäßig vorgehende Bewilligung änderen / vielweniger neue Ordnungen und Gesetze im Reich machen / noch allein die Interpretation der Reichs-Satzung und Frieden-Schlusses vornehmen / sondern mit gesamter Ständen Rath und Vergleichung auff Reichs-Tägen damit verfahren / zuvor aber darinn nichts verfügen noch ergehen lassen. &c. Et *Art. 16.* Und andere Gesetz und Ordnungen / so jetzo gemacht / und künfftig mit der Chur-Fürsten / Fürsten und Stände Rath und Zuthun möchten auffgerichtet werden.

(*b*) Eruditè hoc pro more demonstrant Ill. Dn. SCHWEDER *l. c.* & Magnificus Præceptor atque Hospes noster Dn. MICHAEL GRASS in doctissimarum *Collat. Jur. Civ. Rom. cum Recessib. Imp. Rom. Germ. Sect. I. p. m. 10. sqq.*

(*c*) In conficiendis scilicet Imperatorum Capitulationibus. Eos enim totius nomine Imperii cum noviter Eligendo pacisci, videre est & ex Augustiss. CAROLI VI. *Capitulat. proœm.* ubi: Daß Wir uns demnach aus freyem gnädigem Willen mit denselben Unsern lieben Neven / Brüdern / Oheimben und Chur-Fürsten / vor sich und samtliche Fürsten und Stände des Heil. Röm. Reichs, &c. Esse verò

putati atque selecti, (*a*) adeò, ut Statuum consensu voluntati Imperatoris non accedente, neque Imperator, neque Hoc dissentiente Status possint procedere, Legemque valituram scribere. (*b*)

§. III.

Quocum verò ita comparatum esse utut certô sit certius, Imperatorem tamen inconsultis atque ignorantibus Imperii Statibus, vi Juris Majestatici Ei servati extrà Comitia quoquecujuscunque generis Privilegia regulariter liberè posse concedere, & vel Res vel Personas universalium Legum vinculô eximere, (*c*) tradunt publici Juris nostri Doctores unô ore omnes, (*d*) & quidem ex verô, ceu vel ex hisce rationibus satis superque constat.

B §. IV.

Capitulationes Leges Imperii Universales, immò Fundamentales, quis est, qui dubitet?

(*a*) Quorum Conventus epitome quædam Comitiorum dicuntur, & in iis statuta eodem modô obligant, ac si singuli Status consensissent. Faciunt enim id Vor sich und die übrige Stände: hujusmodi Recessuum Subscriptionibus fidem nobis facientibus. Vid. AHASVERUS FRITSCH in *Tr. de Conventib. Deputator. Imper. Ordinar. Cap.* 7. §. 1. *n.* 3. *sq. p.m.* 96.

(*b*) Inspice, quos nominavimus *in Differt.* nostrâ, *de Jur. Exequ. in Imp. Cap.* 2. §. 5. *not.* 2. *p.* 18. fusius hanc telam pertexentes Juris publici Doctores celeberrimos.

(*c*) Hinc Fridericus II. Imp. in formulâ de Jure ac privilegiô Regis in Imp. *defulgore*, inquit, *Throni Cæsarei velut ex Sole radii, ita cætera prodeunt dignitates, ut prima lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimentum*, quæ verba ex MELCHIORIS GOLDASTI *Tom. un. Constitut. Imper. p.* 305. refert AUTOR *Status f. Reipubl. Imp. Rom. Germ. Tom. II. p. m.* 48.

(*d*) Nolumus jam eorum nomina atque loca chartæ, cui parcimus, allinire, cùm, quodcunque publici Juris Compendium vel Systema, aut de Imperatore Ejusque Reservatis scriptum evolveris, ingentem id tibi præbiturum sit hanc sententiam tenentium farraginem.

§. IV.

Primò (*a*) nullâ in Lege Imperii publicâ ullibi cautum, aut Ejusdem Observantiâ stabilitum legitur, quod non, nisi accedente Statuum consensu, aut Eorum saltem præscitu, Privilegiis mactare quoscunque libuerit, Imperatori liceat: quicquid verò non est prohibitum, cur stare illud ipsum nolimus præsumere? cur licitum id esse absque ratione negemus? præsertim, cùm secundùm saniora Juris publici principia Imperatori salva sint omnia Jura, & quæcunque peragendi integra potestas, nisi vel per Capitulationem, vel per alias Imperii Leges atque Constitutiones, ad quas Regimen normare Suum Is tenetur, illa ipsa sit restricta, aut hinc inde positi limites. (*b*)

§. V.

Secundò, dùm paucis modò in casibus (*c*) circà Privilegiorum Juriumque singularium concessiones Imperatoris arbitrium noluerunt esse illimitatum Status Imperii, eosdemque nominatim passim exceperunt, fatentur utique eô ipsô, nullis de reliquô circà hoc punctum cancellis voluntatem Augustissimi Imperatoris esse circumscriptam, cùm exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, & à sensu contrariô argumentum hîc optimè procedat.

§. VI.

Tertiò (*d*) in ipsis publicis Imperii Legibus, illâque in specie

(*a*) Eodem argumentô hac in materiâ utitur quoque Ill. Dn. SCHWEDER *l. c. Cap. 10. §. 4. p. m. 369.*

(*b*) Ita nos sentimus cum JACOBO LAMPADIO *de Republ. Rom. Germ. Part. III. Cap. 13 §. 5. p. m. 142. & Cap. 16. §. 1. p m. 169.* JO. GEORGIO de KULPIS *in Comment. ad Monzamb. Cap. 5. §. 37. P. II. p. m. 182. & in Position. Jur. Publ. Exerc. 2. §. 13. p. m. 25.* Ill. JO. FRIDERICO DE RHEZ *in Instit. Jur. Publ. Libr. I Tit. 4. §. 62.* Ill. Dn. NICOLAO CHRISTOPHORO Lib. Barone de LYNCKER *de Consens. Electoral. th. 3.* aliisque.

(*c*) De quibus agemus *infrà §. 18. & sqq.*

(*d*) Conf. Ill. Dn. SCHWEDER *l. c.*

ſpecie, quâ poteſtati Imperatoris Auguſtiſſimi certi quidam termini adſignantur, Capitulatione ſcilicet, ab Imperii Electoribus, (qui ut antè (a) diximus, non Suô ſolùm, ſed & reliquorum Principum & Statuum Imperii nomine ibi paciſcuntur atque verba faciunt) Jus hoc Imperatori Auguſtiſſimo verbis diſertiſſimis iteratis vicibus adſcribitur. (b)

(a) *§. 1. not. 4. pag. 8.*
(b) Divi CAROLI VI. *Capitulat. Art. 22.* Bey Collation Fürſtlich- und Gräfflicher / auch anderer Dignitæten ſollen und wollen Wir Zeit Unſerer Königlichen und Kayſerlichen Regierung dahin ſehen / damit insküntfftig auff allen Fall dieſelbe allein denen von Uns ertheilet werden. &c. Eod. Sollen und wollen auch in fleißige Obacht nehmen und verſchaffen / daß alle die Expeditionen / ſo in Gnaden und andern dergleichen Sachen / inſonderheit aber Diplomata über den Fürſten- Grafen- und Herren-Stand / auch Nobilitationen / Palatinaten ... und Kayſerliche Raths-Titulen / ſamt anderen Freyheiten und Privilegien / welche Wir unter dem Nahmen eines Römiſchen Königs oder Kayſers ertheilen werden. &c. Eod. So dann daß über die Kayſerliche Conceſſiones der Privilegien / Stands-Erhöhungen und anderer Gnaden. &c. Eod. Von obgedachten Kayſerlichen Conceſſionen der Privilegien / Stands-Erhöhungen und anderer Gnaden. &c. Eod. Wir ſollen und wollen auch / daß denen ſo von Uns dergleichen Begnadigungen ins künfftig erlangen. &c. Conf. & *Ejusd. Art. 8. 9. 10. 11. 18.* &c. in quibus omnibus ſoli Imperatori hoc Jus adſcribitur & ab hoc conceſſa Privilegia inter juſtos Titulos aliquid habendi vel non habendi connumerantur, nullibi verò Electorum Statuumve concursûs aliqua fit mentio, niſi exceptis illis in caſibus, de quibus §. *19. & ſqq.* Et quid in re clarâ demonſtrationibus opus eſt! Inſpiciamus ſaltem *Receſs. Imper. Noviſs. de A. 1654. §. 115. ubi*: Und ſtehet dieſem nechſt fünfftens / bey des H. Reichs Chur-Fürſten und Ständen ſamt und ſonders über ihre uff eine gewiſſe Summa habende und hergebrachte Privilegia de non appellandô deren fernere Erhöhung / bey Uns als Römiſchen Kayſer / von deme dieſe und andere dergleichen Begnadigungen herrühren / in ſo weit gebührend anzuhalten und nach Geſtalt ſamt der Sachen Umſtänden Unſerer Reſolution und Verordnung darüber zu erwarten.

§. VII.

Denique & Quartò omne dubium eximit notoria & indè à primis Imperii Romano-Germanici incunabulis per tot Seculorum decursum in hunc usque diem continuata praxis atque Observantia Imperii: quæ omnia æquâ lance si pensites, dicendum est omninò: negare velle hoc Imperatoris Reservatum, esse profiteri aut summam Notitiæ Statûs Imperii nostri publici ignorantiam, aut crassam & vix condonandam oscitantiam.

§. VIII.

Concedit ergò Imperator secundùm hactenus allata regulariter liberè omnis generis Privilegia, &, quod singulare est, atque omninò fortissimum pro adstruendâ Augustissimi Imperatoris Majestate in Imperiô argumentum,(*a*) solus atque privativè,adeò, ut neque omnes in universum ImperiiStatus, etiam in Comitiis congregati, & ut unumCorpus considerati, multò ergò minus Singuli, licet Potentissimi, (nisi per Privilegium id habeant ab Imperatore) valitura per universum Imperium, immò Orbem moratiorem omnem hujusmodi Privilegia scribere atque indulgere queant. (*b*)

§. IX.

Largitur autemImperatorAugustissimusPrivilegia vel Ipsemet immediatè, quod consuevit fieri in Collatione Dignitatum majorum aut insigniorumJurium,rarissimè inminoribus,e.g.Creatione Doctorum,Poëtarum, &c. cujus tamen etiam exempla quædam prostant;(*c*) vel mediatèEjus nomine hæc conferunt,quibus ut benemeritis his afficerent, Imperator indulsit, quod plerumque sunt

(*a*) Idem agnoscit HENRICUS SAMUEL ECCHOLD *de Jur. Majest. Imp. R.G. in Regn. Germ.* §. *28. num. 5.*

(*b*) Quod optimè observavit LAMPADIUS *l. c* §. *6. p. m. 142.*

(*c*) Vid. Ill. Dn. SCHWEDER *l. c, Cap. 7,* §. *14. p. m. 325.*

ſunt Comites Palatini, quorum poteſtas (a) ſubſiſtit in diſtributione honorum inferioris generis. Habent hoc tamen Familiæ quædam Sereniſſimæ ex Imperatoris Auguſtiſſimi Privilegiô, ut etiam inComitum Claſſem quem poſſint evehere,(b) quanquam de actuali Privilegii uſu mihi non conſtet.

§. X.

In exercitium verò hoc Jus Suum deducit Imperator Auguſtiſſimus vel quoad Perſonas, vel quoad Res. Quoad Perſonas, quando ex. gr. Archi-Ducis, Magni Ducis, Marchionis, Principis, Landgravii, Burggravii, Comitis Principalis, Comitis, Baronis, Banneresii, Equitis, Nobilis, Comitis Palatini, Doctoris, Poëtæ,aliisve elogiis, Inſignibus item & honoribus variis quem mactat. Porrò quando Annis viginti quinque minoribus ætatis veniam, Debitoribus infortuniô ad incitas redactis literas moratorias, Bibliopolis Privilegia impreſſoria, aliisque alia hujus generis plurima clementiſſimè indulget.

§. XI.

Peſonarum, quæ ornandæ veniunt hujusmodi Privilegiis, qualitates itidem Imperatoris æſtimio ſunt relictæ, qui prout id vel merita, vel ſalus Reipublicæ, aliæve Circumſtantiæ poſcunt atque ſuadent, & indigenas & exteros (c) & maſculos

 & fœ-

(a) De quâ integros Tractatus & Diſſertationes congeſſere Sagittarius, Præſide Fomanno, Mundius, Pithoeus, Reinesius, Schubartus, Sahme, & Schillingius præſide Gribnero, de quibus ſingulis egit Excell. Dn. Burckhardus Gotthelff Struve *in Biblioth. Jur. Cap. 14. §. 96. p. m. 867. 868.*

(b) Ill. Dn. Schweder *l. c.* §. 4. *p. m. 316.*

(c) Exempla rei vide apud Eund. *l. c.* §. 3. *p. m. 315.* & cit. Autorem *Reipubl. Germ. l. c. p. m. 51.* Adde tamen Auguſtiſſimi Caroli VI. *Capitulat. Art. 22.* & infra §. 22.

& fœminas,(*a*) Clericos & Laicos, Cives, Membra, Vasallos atque Subditos Imperii immediatos mediatosque, alios denique, commeritis præmiis condecorare solet.

§. XII.

Concedit verò Imperator Augustissimus & 2. Rebus (cum quibus pari passu ambulant, quæ Collegiis dantur & Universitatibus) Privilegia ex beneplacito, v. gr. Academiarum fundationes firmando, vitamque & spiritum iis attribuendo per Jura docendi præmiaque literaria diribendi, quæ vel plenariè iis aut ex parte, prout Ei fuerit libitum, elargitur, concedendô item Jus habendi Nundinas, quas ob varia, queis aliis præstant, Jura singularia dicunt solenniores, dando quoque Jus extruendæ Civitatis, cætera.

§. XIII.

Cùm verò Imperatorem etiam Personis Suæ potestati non subjectis cum effectu largiri Privilegia posse paulò ante (*b*) viderimus, num & id procedat quoad res vel universitates exterorum? si ex nobis quæras, affirmare illud dubitamus haud immeritò. Nam si ex. gr. in quadam Galliæ Regi subditâ Civitate Imperator Academiam constituere præsumeret, aut nundinarum solennium Jus eidem vellet indulgere, nescio quâ fronte excepturus esset isthanc Imperatoris liberalitatem Rex Galliarum. Et sanè videntur eò lædi Jura Majestatis & Superioritatis exterorum, cùm secundùm Principium suprà (*c*) positum, Privilegia sint Leges, & quidem Universales, ut adeò in alienô Privilegia largiens supponat quoddam in Civitatem saltem illam dominium

(*a*) Plenius hac de re edisseruit Ill. Dn. Jo. PETRUS à LUDEWIG in eleganti *Dissertat. de Differentiis Juris Romani & Germanici in Dignitate Uxoris* vom Kunckel-Adel. Halæ 1718. 4. & in EJUSDEM *Opusc. miscell. Tom. I. p. m. 1147. sqq.*

(*b*) *§. 10.*

(*c*) *§. 1. pag. 7.*

um, dùm ſervandas ab omnibus Leges ſingularium univerſitatum gratiâ ſcribit. Equidem hæc ratio militat & contrà Jus indulgendi vel Perſonis exteris Privilegia, nec apparet ulla differentiæ ratio: interim tamen mores Gentium atque praxis hæc ita ſervant atque diſtinguunt, queis inde & nobis eſt ſtandum. Denique & Privilegia rebus vel Univerſitati tributa, cùm rei in æternum cohæreant, & ad quosvis poſſeſſores tranſeant, utique in majus Domini præjudicium vergunt, quàm perſonalia vel horum cum Perſonis ipſis, vel eorum ſaltem poſteris exſpiratura.

§. XIV.

Num verò Imperator Auguſtiſſimus ſcribere quoque posſit ejus generis Privilegia, quæ dicuntur odioſa? quæritur, variasque dubitationes, ſive in ſententiam affirmativam, ſive in negativam propendeas, patitur: pugnabimus nos tamen pro priori, quia ſive Privilegium odioſum dicas, quod aliorum reſpectu favorabile, aliorum verò pœnale eſt; ſive pro odioſô capias, quando in exemplum ordinariâ gravior pœna irrogatur, umbræ ſunt modò, quæ objiciuntur, in auras mox cum halitu evaneſcentes. Prioris generis Privilegia enim Auguſtiſſimus Imperator quod toto die concedat, & de jure quidem eſt indubium, *(a)* idque ſi negaveris, negaveris mihi Solem in meridie, quod verò & poſterioris generis Privilegia, ubi juſtas cauſas, ubi rationes ſonticas ſubeſſe deprehenderit, poſſit ſcribere, convenit cum Ejusdem Majeſtaticô Summi in Imperiô Judicis Officiô, normandô ad Obſervantiam Imperii, atque excelſiſſimum, quod in Orbe

(a) Omnibus enim ferè Privilegiorum Codicillis ſubjuncta legitur clauſula: ne quisquam privilegiatum in hoc Juris ſui exercitiô turbet ſub pœnâ, quæ ex arbitriô Imperatoris pro gravitate rei determinatur, E. g. quinquaginta marcarum Auri puri, quarum à transgreſſore emunctarum pars dimidia Fiſco Imperatoris, altera læſo cedere debeat.

be moratiori tenet Imperator Augustissimus, culmen, præsertim cùm non contrà Legis mentem atque sensum, sed modò præter eum absque fraude Legum ita judicet, & id ipsa Justitiæ natura publicæque rei salus sæpius efflagitet. *(a)*

§. XV.

Supponendi tamen sunt termini habiles, id est, eò solùm usque potest procedere in tribuendis Privilegiis hujusmodi odiosis Imperator Augustissimus, quò usque Leges Imperii disertè id non interdicunt Eidem. Ita ex. gr. ad Bannum aut suspensionem à Sessione & Votô in Imperii vel Circuli Comitiis id protendere nequit, cùm, Se non, nisi Votis Statuum omnium accedentibus hoc suscipere velle juratò in Capitulatione (*b*) promiserit Imperator.

§. XVI.

Effectus Privilegiorum ab Imperatore indultorum extendit se per universum, quaqua patet, Imperium Romano-Germanicum, immò talia Privilegia dicuntur esse Juris Gentium, ideò scilicet, quia apud Gentes Europæ cultiores eadem jura tribuuntur, idemque honos exhibetur rebus vel Personis ab Imperatore Privilegiô mactis, quæ tribuuntur atque exhibentur iis in Imperiô nostrô. E.g. Evecto ab Imperatore in Classem Cômitum non in Germaniâ solùm, & quæ hujus imperio parent Provinciis locus erit inter Comites, verùm & in Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Magnæ Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæque Regnis, Moscoviæ & Italiæ Provinciis, atque Rebuspublicis Hollandicâ, Helveticâ, Venetâ, Genuensi, Luccensi. &c. Pariter scriptum aut signatum à Notariô Imperato.

(*a*) Et dum in genere Jus Privilegia in Imperio concedendi Imperatori Juris publici Doctores vindicant, utique nec odiosa excludunt.

(*b*) Inspice Augustissimi CAROLI VI. *Capitulat. Art.* 20. vers: Wir sollen und wollen auch in Acht- und Oberacht-Sachen. &c.

ratoriâ autoritate creatô Instrumentum regulariter absque dubiô valebit in universô Orbe moratiori, & solenniter renunciatus in firmatâ ab Imperatore Academiâ Doctor pro tali ubique locorum atque terrarum reputabitur.

§. XVII.

Anne verò licebit Principi aliive Statuum Imperii, si subdita Eidem persona vel universitas Privilegiô, quod Suum in præjudicium non vergit, ornetur ab Imperatore, interdicere huic, ne jure hoc suô prius utatur, quàm & Suum consensum Is addiderit? Nos sanè arbitramur, quod non liceat: (a) cùm enim ex anteà monitis Imperatori Privilegia pro lubitu indulgendi potestas in Imperiô absque dubio competat, ex hujusmodi Privilegiô jus mediato quæritur, quod ne ipsum quidem Principem posse tollere, naturale jus & æquitas monet. Præterea non

G

(a) In contrarium abit Ill. de Kulpis *l. c. p. m. 184.* & per ejusmodi prohibitionem nec Imperatori Jus Suum diminui, nec e. g. nobilitatis privilegium in universum privilegiato denegari, sed illorum saltem, quæ à territoriô præsenti dependent, actualem usurpationem ad certam conditionem utilitati publicæ innixam, suspendi censet. Verùm enim verò hæc planè nobis non satisfaciunt. Qui enim Jus Imperatoris non diminui potest dici, cùm in arbitrio Status ponitur, num Privilegium Imperatoris ad effectum traduci Is voluerit? & qui non denegatur privilegiato nobilitatis privilegium, cùm in locô, ubi vivere consuevit, ubi lares atque domicilium fixit, eodem uti prohibetur. Nec hîc sufficit exceptio utilitatis publicæ; hæc enim alia satis commodâ viâ potest servari atque procurari, scilicet agendô ad præscriptum Capitulationum, præsertim modernæ, quæ in additâ nunc demùm (V. Nobilis Dn. de Zech gegenwärt. Verfaß. der Kayserl. Regierung in Teutschl. *ad d. Art. not. c. d. p. m. 174. 175.*) Clausulâ disponit: Wie dann / wo ein und anderer Stand erweißlich darthun würde / daß er gegen solches (Jus Territoriale) biß daher gravirt / und an seinen Gerechtsamen durch neue Stands-Erhöhungen beeinträchtiget worden / derselbe mit seinen habenden Beschwerden / genüglich gehöret / und das unbillig vergegangene geändert und abgestellet werden solle.

non id cuiquam Statuum Imperii unquam fuit integrum, reali ejusmodi virgulâ censoriâ ut notaret actiones Imperatoris, & re ipsa judicem Hujus Semet constitueret, cùm hoc foret summa miscere imis, membra suprà Caput extollere, & eò denique redigere Majestatem Imperatoris Augustissimi, ut multis planè parasangis eam post se relinqueret etiam Venetiarum Genuæve Ducis autoritas restrictissima.

§. XVIII.

Cavetur tamen publicis Imperii Constitutionibus, ne in vim Legis abeant, aut ad eorum observantiam teneantur Status aliique Imperiô subditi, sed sint ipsô Jure nulla, cassa atque irrita ea Imperatorum Privilegia, quæ vel contrà expressas Imperii Sanctiones, vel contrà Jura Statuum sunt indulta, (a) etiamsi addita fuerit clausula: de plenitudine potestatis Imperatoriæ; hæc enim ibi tantùm operatur, ubi hæc plenitudo potestatis nullis circumscripta est limitibus, hûc verò ea quò minus se extendat, pacta cum Imperii Statibus per Capitulationem inita gravissimè obsunt.

§. XIX.

Scilicet ita est quidem, uti mox ab initiô evicimus, regulariter Imperator pro lubitu potest indulgere cujuscunque generis Privilegia: excepti tamen leguntur in Imperii Legibus casus quidam, in quibus non planè absolutum Status voluerunt esse Imperatoris Augustissimi arbitrium. Gradus eorum sunt sex: aut enim I. relicta quidem est Imperatori facultas Privilegia ex voluntate concedendi, monita tamen quædam adduntur, quæ, ut observet, Status Eundem hortantur; quodsi verò contrà hæc agat, non ea tamen propter actus sit nullus: aut 2. itidem pro lubitu largiri potest Privilegia, adstrictus tamen est ad servandas in modo ea expediendi Leges quasdam

(a) Conf. §. 30. & sqq.

dam, ita, ut aliter non valeant: aut limitata est hæc Ejus facultas, ita, ut 3. vel Electorum, vel 4. Horum, insuper auditis quoque certis Imperii Circulis, vel 5. planè omnium trium Senatûs Imperialis Collegiorum suffragium atque consensus prius debeat accedere, quàm certi generis Privilegia possit tribuere: aut denique 6. aliqua scribere planè prohibetur.

§. XX.

Primam Classem esse diximus, quando circumscribere limitibus certis facultatem Imperatoris indulgendi Privilegia noluerunt Status, ut verò Sua observare velit monita, exoptant, ita tamen, ut, si ab iis recedatur, non reddantur irrita ejusmodi Privilegia. Et hùc referendum, quando monent Status 1. ut paternâ curâ caveat atque prospiciat Imperator Augustissimus, ne in genere scribantur ejus generis Privilegia, quæ occasionem olim subministrare possent subducendi se ab Imperii Jurisdictione, aut eandem vel Statuum Privilegia antiquiora saltem imminuendi, aut jus tertii lædendi. (a) Ratio moniti in promptu est: Scilicet est & ex re Imperatoris Augustissimi, ut à dandis talibus Privilegiis Sibi temperet, ne cùm Imperio, Statibus aut tertio aliquando fiunt damnosæ, ea rescindi eòque lædi Majestatem & autoritatem Imperatoriam sit necesse; est verò & ex re Imperii Statuum atque Tertii, qui integram suam causam servare malunt quam post eam vulneratam demùm eidem quærere remedium. Quod si tamen actu tale Privilegium Augustissimus Imperator indulserit, illud tamdiu subsistit, quamdiu eô Imperium, Status aut Tertius quidam non gravatur, quia tùm demùm ea fiunt irrita, si actu, non si potentiâ tantùm, subsit gravamen.

§. XXI.

Idem dicendum est, quando 2. promittit Imperator in specie

C 2 par-

(a) Vid. Augustissimi Caroli VI. Capitulat. Art. 18. verbis: In Ertheilung aber der jetzt gemeldter Privilegiorum. &c.

parciusSe usurum Jure tribuendi Privilegia α] de non appellando, β] non evocando γ] electionis fori, δ] Austregarum, ε] & similium, (a) ne scilicet, quæ ipsa ratio ibidem redditur (b) aut, Jurisdictio Imperii excludatur vel imminatur saltem, aut ne in Statuum antiquiori Jure gaudentium, vel Tertii cujusdam præjudicium aliquando vergant. Cæterum tamen hoc non impedire, quo minus Imperator quandocunque placuerit benè de Se meritos Privilegiis possit augere, satis cuivis constare existimo.

§. XXII.

Denique &c. spondet Imperator Augustissimus (c) Se in conferendis Principis, Comitis, aliisve sublimioris Gradûs Dignitatibus & Elogiis Eorum modò rationem habiturum, qui Requisitis sequentibus sint instructi: α] ut præ aliis tantum meruerint fastigium, β] Suum in Imperiô domicilium fixerint, atque γ] tantis opibus viribusque polleant, quæ pro sustentandâ Dignitate possint sufficere. Factum id est absque dubiô eo fine ne vilescant splendidissima hæc nomina, tantô olim in pretiô apud exteros quoque semper habita, cùm ad ea tàm facilem esse adscensum pateat. Neque tamen, si contrà hæc faciat Imperator Augustissimus, Privilegium Status noluisse valere persuadere nobis possumus, cùm, quam toties alibi adhibuere clausulam cassatoriam specialem, hîc non subjecerint; & quæ de generali clausulâ cassatoriâ Capitulationibus insertâ tradunt publici Juris Doctores, talô satis firmô inniti nobis non videantur.

§. XXIII.

(a) SedemLoci ex parte præc. not. indicavimus, cui jam subjungantur tantùm, quæ ibidem porrò sequuntur: und nach Inhalt des Reichs-Abschieds de Anno 1654. &c. Ad quem verò provocatur hîc Recessûs Imperii novissimi locus est §. 116. qui verbotenus perpetuæ Capitulationis Projecto & ex hac Augustissimi CAROLI VI. Capitulationi primùm fuit insertus.

(b) Vid. not. a. pag. præc. positam.

(c) Consule dictæ Capitulat. Art. 22. bey Collation Fürstlich- und Gräflicher auch anderer Dignitæten &c.

§. XXIII.

Secunda Classis est, cùm quidem itidem quibuscunque Rebus vel Personis voluerit Imperator Augustissimus Privilegia scribere, Eidem est integrum, ita tamen, ut ad Leges quasdam respicere Is teneatur in Diplomatum expeditione, quæ si non serventur, vim Legis Privilegia ista non accipiunt. Venit horum in censum: quod Privilegiorum Imperatoriorum Codicilli scribi debeant in Imperii Cancellariâ, (a) quæ Moguntini Electoris curæ subest, quia scilicet, ex additis ibidem (b) rationibus α] ab antiquis indè temporibus observatum hoc fuerit nostrô in Imperiô, idemque β] conveniat cum Majestate Imperatoris & Imperii. Contrà hoc verò si fiat, ipsô Jure nullum esse debere tale Privilegium, per subjunctam statim (c) cassatoriam clausulam Status caverunt.

§. XXIV.

2. Quod vim nancisci suam Privilegium Imperatorium etiam ex Imperii Cancellariâ proditum prius non debeat, quàm ab illo, qui ornari eodem ab Imperatore meruit, solutâ certâ pecuniæ summâ, quæ Taxæ nomine venit, & pro diversis Dignitatum generibus atque gradibus variat, (d) id fuerit redemtum

 è di-

(a) Verba concepta novissimæ Capitular. vid. Art. 22. Sollen und wollen auch in fleißige Obacht nehmen/ &c.

(b) Wie solches von Alters herkommen/ auch unserer und des Reichs Hoheit gemäß ist.

(c) Vid. quæ ibi porrò leguntur: Wie dann in krafft dieses &c.

(d) Die erneuerte Tax-Rolle/ wie ins künfftig alle und jede Käyserliche Privilegia und andere Taxbahre Brieffe bey der Reichs-Hof-Cantzley-Tax-Amt taxiret werden sollen/ conscriptam Herbipoli An. 1659. die 6. Jan. exhibet SAMUEL STRYCKIUS *in Exam. Jur. feudal. Append. Num. V. a. p. m. 460. sqq.* Excell. Dn. Jo. FRIDERICUS PFEFFINGER *in Vitriar. illustr. Tom. II. Libr. II. Tit. I. §. 22. not. a. p. m. 986. sq.* aliique.

è dictâ Imperii Cancellariâ. (a) Et quidem adeò strictè hoc debere servari prospectum est, ut ne Ipsi quidem Imperatori Augustissimo liceat de statutâ Taxæ summâ aliquid remittere, cùm inde damnum emergeret Electori Moguntino, tanquàm Imperii Archi-Cancellario, iisque, quos sumtibus Suis ad obeunda in Imperii Cancellariâ munera necessaria sustentare Eundem oportet, quippe quorum redituum pars hæc est non minima. (b)

§. XXV.

3. Et quidem fieri debet hæc redemtio intra tres menses, qui nostrâ ex sententiâ, eâque æquiori, nec Imperii Legibus contrariâ, demùm ex tempore insinuationis, non concessionis, currunt atque computandi sunt. Si quis verò præterlabi sinat hunc trium mensium terminum, eosque intrà Cancellariæ Imperiali pro redimendô Codicillô debitam pecuniæ summam offerre & solvere neglexerit, is non modò per expressam Sanctionem Imperii ab indultis Gratiis, Dignitatibus, Insignibus, Elogiis & similibus abstinere jubetur, verùm & si de factô hujusmodi quid usurpare præsumserit, ut contrà eum implorantibus summa Imperii Judicia Fiscalibus Cæsaris decerni processus, & re probè discussâ pœnâ animadverti debeat, (c) statuitur, quorum omnium rationem ex §. præcedenti Lector desumet.

§. XXVI.

Tribus hisce 4. unicô in casu adhuc superadditur aliud, scilicet hoc, ut si quando contingat, quod cuidam Statuum Imperii aliive impetratô desuper Electorum Singulorum consensu unanimi, & auditô prius Circulo, cui damnum inde posset oriri

(a) Confer, quæ post indicatum *not. c. p. prac.* locum Electores Statuum nomine addunt porrò: Und die Impetranten ehe und bevor sie &c.

(b) Spectant huc verba paulò post priora subsequentia, quorum initium est: Weilen auch dem Reichs-Cantzley-Tax-Amt.

(c) Vid. & hanc Constitutionem *l. c. vers. ult.*

oriri vel novum telonium largiri, vel vectigalia, quorum exactio jam anteà de jure penes eum extitit, adaugere vel elapsô tempore prorogare placeat Imperatori, scriptum tamen hoc fine Diploma privilegiato ex Imperii Cancellariâ tradi prius haud debeat, quàm is reddiderit reversales literas, quibus promittat, nolle se vectigal hoc noviter indultum vel prorogatum, aut priscum quoad augmentum exigere α] ab Electoribus Eorumque β] Legatis, γ] Viduis & ι] hæredibus, (quando scilicet duobus hisce in classibus contentæ personæ vel ad capiendam hæreditatem vel ad emigrandum & figendos alibi lares atque domicilium telonia hæc transire necesse est) Electorum porrò ζ] Subditis, η] Ministerialibus, ϑ] aliove nexu junctis ι] reliquisque personis à solutione ejus exemptis, horumque bonis atque fortunis, seque de reliquo quoque velle stare præscriptis in Privilegio Legibus. Rationem verò, cur soli Electores præ aliorum Principum & Statuum Imperii Clientibus & subditis hâc prærogativâ gaudere velint, atque vi Capitulationum debeant, inquirenti de MONZAMBANO verbis elegantibus sanè, in positâ infrà Notâ (*b*) respondebimus.

§. XXVII.

Tertiâ in Classe exceptorum casuum magis adhuc constringitur Cæsaris circà Privilegia concedenda potestas, cùm ad ferendum ejus generis Privilegium teneatur obtinere prius Electorum adsensum, & quidem ita, ut non sufficiat, id majori Eorum parti placuisse, sed unanimia atque separata Singulorum

(*a*) Ecce Legem ipsam *in Capitulat. noviss. Art. 8. vers. penult.* Auch sollen und wollen wir diejenige Stände.

(*b*) Ita verò ille *Cap. 5. §. 2. p.m. 221.* postquam de eô disseruisset, cur Jure suô Capitulationes Imperatori privativè præscribendi cedere nollent Electores? pergit: *Valdè absurdos esse, qui Electoribus vitiô velint vertere, quod emolumentis Suis plusquam cæterorum velificari sint visi; quasi Isti soli communem hominum inclinationem teneantur exuere, quâ quilibet sibi proximus esse gaudet.*

rum Vota rem comprobantia requirantur. Unicus verò tantùm est, quem Imperii Leges notant, hujus speciei casus, scilicet indultus Juris Stapulæ, einer Licent, Niederlage & similium (*a*), quem si Imperator Augustissimus Electoribus haud adsentientibus concesserit, ea Imperii Statibus facultas est relicta, ut ab ejusmodi onere suos, quâ possint, viâ & modô, licitè possint defendere (*b*), ad quod quid Electores Statusque permoverit sequenti §. dicendum occurret.

§. XXVIII.

Quartâ in Classe non Electorum solùm omnium atque Singulorum adprobatio præcedat oportet, quando Imperator Augustissimus scribere voluerit eò relatorum Privilegiorum Codicillum; Verùm & audire prius Is debebit atque rationem omninò habere rationum & gravaminum, quæ & exhibebunt Vicini, quorum interesse poterit, & quæ exhibebunt Circuli, quibus inde damnum aliquod vel præjudicium grave imminere videtur. I. Occurrit hic Jus, ut telonia constituere de novô liceat, tribuendi, vectigalia prisca augendi, ad tempus modò concessa prorogandi, aut, ut perpetua fiant, efficiendi. (*c*) Immò cùm jam Electorum adsensum Imperator impetravit, insuper tamen & de hoc debebit prospicere, ne per novius Suum Privilegium lædantur antiquiora Statuum Jura & super eodem concessa Privilegia atque reditus (*d*). Rationes utriusque limitationis potestatis Imperatoriæ in Imperii Legibus passim expressæ, hæc subsunt: α] quia nimiô teloniorum atque vectigalium numerô jamdudum satis superque oneratum est Imperium Romano-Germani-

(*a*) Hûc faciens *Capitulat. noviss. Art. cit.* textus ita incipit: Dieweilen sich aber zuträgt &c.

(*b*) Per expressam *l. c.* extantem dispositionem: auch (solle) einem jedweden des Heil. Reichs Churfürsten &c.

(*c*) Inspiciatur iterum ipsa CAROLINA *Capitulat. Art* 8. mox ab initiô.

(*d*) Conf. *Ejusd. Artic. vers.* 2. Gleicher Gestalt sollen und wollen wir.

manicum tùm in terrâ, tùm & in fluminibus, & si nova amplius indulgerentur Statibus, β] eò pessùm planè darentur atque humi sternerentur, quæ quasi sunt anima nervique Reipublicæ, commercia, &. sic γ] gravissimè læderentur ipsi reliqui Status Imperii, Rhenani præcipuè Electores, quorum redituum pars sanè magna sita est in perceptione fructuum ex commerciis & teloniis ad Se redundantium. Quid verò, si nihilò secius Imperator tales Codicillos scribi curet, liceat Statibus, paulò antè (a) fuit expositum.

§. XXIX.

2. In simili cùm Monetam cudendi Jure condecorare quem placuerit Imperatori Augustissimo, ad Leges hujus Classis Se adstrinxit, præsertim cùm Imperii civibus mediatis indulgere hoc vel alia Juri huic similia aut majora adhuc Privilegia Is voluerit, (b) quia α] facilè Imperatoria hujusmodi liberalitas in abusum trahitur, præsertim à mediatis, qui lucrum sæpius inde sibi quærunt, quò fit, ut β] vix amplius nummo, [qui si bonus sit, evehit commercia, ipsamque adeò Rempublicam, eandemque contrà, si sit malus, affligit maximè] habeatur fides. Adde & γ] momentum aliud quoad mediatos; scilicet est indignum, ut hi iis juribus insigniantur, queis carere adhuc debent multi Statuum, qui tamen veniunt in partem curarum, quas pro salute Imperii gerit Augustissimus; est & indignum, ut in iis Juribus, è quibus tanta Imperii Statuum libertas est conspicua, pari cum suô Principe vel Superiori passu ambulent subditi vel Landsassii; indignissimum verò omnium fôret, quod si Jus hoc iis mediatis tribueretur, quorum superior ipsemet eodem non est condecoratus.

§. XXX.

Quintum gradum atque Classem constituimus illam, quando

(a) §. Præc.
(b) Textus est in Augustiss. Caroli VI. *Capitulat. Art. 9. vers.* Wir sollen und wollen auch hinfüro.

do pactô Imperator Augustissimus Sese obligavit, velle Se prius, quàm immunitatum certarum copiam aliis faceret, expetere desuper omnium trium Imperii Collegiorum Conclusum atque applausum. Tale quid est, (a) cùm quis Statuum in quantô Suô matriculari gravatum Se præ aliis obtendit, & hinc petit ab Imperatore, ut vel planè vel ad tempus totum suum quantum ejusve partem Sibi remittat, quippe de quibus ut agatur vel in plenis Imperii Comitiis, vel in Diætis, quæ à selectis ad id Statibus moderationum causa habentur, (b) facilè consensit Imperator Augustissimus, cùm hoc Ejus in favorem potius, quàm ad limitandam Ejus potestatem fuerit introductum, ne scilicet, cùm tantus eorum sit numerus, Suâ qui quotâ matriculari planè non sunt contenti, omnis Horum impetus in solum Eum fieret, &, dùm subvenire omnibus nequit, ne penitus deessent, qui ferrent onera Imperii, multorum animos à Se reddat alienos. Ratio pacti porrò & hæc est, quia tardius hujusmodi in rebus proceditur in Comitiis, & ægrius à Matriculâ receditur, ut caveatur eô, ne dùm alii onere levantur, id accrescat aliis, qui & Semet ferè ultrà vires concurrere conqueruntur. Quodsi verò Imperator Augustissimus ita quem voluerit eximere, ut Sibi patiatur detrahere, quod à communi massâ per hanc ipsam exemtionem decedit, nulla Lex vel ratio obest, quò minus id Eidem semper sit integrum.

§. XXXI.

Sextus denique gradus & Classis est, quando Imperator promittit, velle Se planè abstinere in genere à concedendis Privilegiis & Immunitatibus I. exorbitantibus (c), ne subnascatur eô occasio privilegiatis respuendi tandem penitus obsequium Im-

(a) Vid. *Ejusd. Capitulat Art. 5. vers.* Wollen auch nicht gestatten.
(b) Conf. huc *cit.* nostram Dissertat. *de Jur. exequ. in Imp. Cap. 3. §. 6. not. 2. pag. 27.*
(c) Per *dicta Capitulat. Art. 10.*

Imperatori & Imperio debitum, (a) quod, ne fiat, eò ſolicitius cavebunt Imperatores Auguſtiſſimi, cùm meminerint, dici Se ſemper Auguſtos, id eſt, ſecundùm ſenſum, quem uſus & Politica ratio eidem indidit, Amplificatores Imperii & Regni Germanici; & Se eſſe Caput Imperii, quod in membra haud graſſatur, ſed eò nervos omnes intendit, ne dùm hiſce malè ſit, ſit & ſibi malè: quod quidem Officium cùm tantâ religione adimpleat Auguſtiſſimus noſter Carolus VI. non eſt, ut plura addamus.

§. XXXII.

Quando & 2. promittit Imperator Auguſtiſſimus, velle Se temperare Sibi à ſcribendis Privilegiis, quæ ſint adverſa derogentve Statuum Imperii (quorum ſub numerô comprehendi quoque debeant immediati Nobiles,) Regalibus, Superioritati, Immunitatibus, Privilegiis, Unionibus ad præſcriptum Legum Imperii initis, præſertim Electorum aliorumque Statuum Confraternitatibus, Oppignorationibus Imperii ſecundum Inſtrumentum Pacis, Juribus, Obſervantiis & legitimis Conſuetudinibus, quas habuere aut exercuere hactenus terrâ marique aut in fluminibus &c. (b) Intereſt enim tùm ipſius Imperatoris Auguſtiſſimi, ut non eò usque ſuam in Imperio autoritatem Is protendat, α) ne moti tali exemplo Ejusdem in Regimine Succeſſores pari libertate uſi & indultorum ab Eô Privilegiorum rationem non habeant & contraria iis tribuant aliis, detrahantque præſertim β) eximiis planè hæreditariarum ditionum Renorumque Suorum immunitatibus. Tùm verò vel maximè intereſt Statuum, ne, quæ Majores aut Prædeceſſores Sui vel per bene merita, vel etiam titulô oneroſô Sibi quæſiverunt Jura ſingularia, ſemper ſint in incertô, & reſcindi poſſint iisve derogari absque ratione, quandocunque id placuerit Imperatori Auguſtiſſimo.

(a) Add. *idem Art.*
(b) Proſpicitur hiſce *in noviſſ. Capitulat, Art. 1.*

§. XXXIII.

In ſpecie verò publicam fidem facit Imperator Auguſtiſſimus, Se non indulſurum eſſe cuiquam Privilegia I. circà Monopolia, ſive ſint Mercatores, ſive Opifices, Artificesve, aliive, quorum negotiationes & commercia influunt in vitam communem, quocunque nomine ea veniant. *(a)* Scilicet feneſtras pandere hujus generis Privilegia fraudibus & deceptionibus, proximo, unde ſibi honeſtâ ratione quærat victum & amictum præripi atque viam intercludi; aliisque modis graviſſimè contrà Officia humanitatis, Reipublicæ ſalutem, & præcipuè contrà incrementum commerciorum communiter peccari eſt in apricô.

§. XXXIV.

Nec 2. quoque impertiturum Se cuiquam eſſe pollicetur Auguſtiſſimus, Literas promotoriales, Mandata, vel Privilegia, quibus ut eorum latores ſunt immunes à Vectigalibus aliisque, quæ à tranſeuntibus exigere fas eſt, oneribus Idem præcipiat.*(b)* Ita enim Imperator Auguſtiſſimus à Se vel Suis in moderan-

(a) Evolve *Ejusd. Art. 7.* Num verò & eò referemus Privilegia impreſſoria conceſſa Bibliopolis? Videbatur dicendum, quod ſic, cùm verba dicti Articuli hæc ſint: **Es geſchehe ſolches bey Kauff-Handel/ Manufacturen/ Künſten/ und andern in das Policey-Weſen einlauffenden Sachen/ oder wie es ſonſten Nahmen haben möge:** Vero tamen ſimilius nobis videtur contrarium; cùm non ex eô ſolùm tempore, quô condita eſt noviſſima Capitulatio, frequentiſſimè largiri Imperatorem hujusmodi Privilegia conſtet, ſed & hoc ſit certum, neminem Statuum unquam contrà id moviſſe aut conqueſtum eſſe aliquid. Immò cùm Status Imperii Ipſimet admodùm ſæpè valitura Suis in Territoriis Privilegia impreſſoria Bibliopolis ſcribant, quod Sibi Suis in Territoriis licitum eſſe ſtatuunt, idem & Imperatori Auguſtiſſimo univerſô in Imperiô interdictum haud eſſe cenſere Eos neceſſe eſt.

(b) Conſule CAROLINÆ *Capitulat. Art. 8. vers.* **Und nachdeme vormahls die Churfürſten.**

derandô Imperiô Antecessoribus, non, nisi gravissimâ de causâ indulta teloniorùm Privilegia anteà jam onerata, magnâ ex parte Ipsemet redderet inutilia & impingeret ita in fidem, quam dedit, publicam Juramentô quoque firmatam, quod adversa Statuum Juribus immunitates cuiquam nolit tribuere.

§. XXXV.

3. Spondet & Imperator Augustissimus, Se non exempturum fore quocunque sub titulô vel colore Juris, sive directi dominii sive aliô Statuum Imperii Landsassios, Subditos mediatos immediatosque, aut qui aliâ ratione modoque Iisdem sint devincti ab Eorum Superioritate, Imperio atque Jurisdictione, oneribus item & præstationibus publicis, Collectis, decimis, quasque aliis sub nominibus jure ab iisdem poscunt exactionibus, (*a*) cùm hoc ipso imminueretur vel maximè Statibus utile Suum dominium, quod ne de Jure feudali Longobardico quidem Domino directo est permissum, multoque minus de Jure feudali nostri Imperii publico.

§. XXXV.

Denique & 4. ultimo loco Imperator promittit, nolle Se quemquam, cujuscunque demum Ordinis is fuerit, in præjudicium aut diminutionem Familiarum antiquiorum augere vel iisdem planè alius Domus, vel aliis novis Eidem tamen damnum inferentibus Dignitatibus, Titulis, Insignibus & Elogiis. (*b*) Hinc plerisque Imperatoriorum Privilegiorum codicillis clausulam hanc vel similem inditam esse cernimus: Doch anderen die vielleicht die vorgeschriebene Wappen und Kleinothen/ (aut pro rei diversitate: Titul &c.) gleich führten/ an denselben ihren Wappen/ (Tituln) und Rechten unvergriffen und unschädlich. Sunt enim hæc omnia ejus generis Jura & Prærogativæ, quæ ut sarta tectaque sanctè serventur, modis quam pluri-

(*a*) Vid. *Eandem. Art.* 15.
(*b*) De hoc disponit *Ejusd. Art.* 22. *vers.* 1.

plurimis possessorum refert. Landsassii e. gr. si justo majoribus Dignitatum gradibus ab Imperatore ornentur, plerumpue in fraudem Domini Territorialis, Ejusque in Se Superioritatis id abuti tot Exempla Statuumque querelæ comprobant. Ex Titulis verò & Insignibus cùm sæpissimè maximi ponderis Prætensiones, Prærogativæ aliaque hujus generis pendeant, iterum ad hæc salvanda, & vitandam confusionem cautelâ tali opus est. Adde, quod & tractu temporis maximè perniciosus fieri possit alteri partium eorundem Insignium atque Titulorum usus, cujus exempla, cum volventibus Acta & Historiam Imperii oblatura se sint plurima, immò & sint odiosa nonnunquam, hinc tetigisse nobis ea in genere modò sufficiat.

XXXVII.

Et sic jam iterum delineatâ paucis ex ipsis Juris nostri publici genuinis fontibus, Legibus Imperii scilicet, Potestate Imperatoris Augustissimi circà Concessionem Privilegiorum calamum vel tandem ponimus, conceptoque pio voto Inaugurales hasce Theses finimus atque obsignamus. Vivat, & quem aliis citiùs perfecerunt Gratiæ, EUNDEM quam diutissimè nobis non invideant Parcæ, cœlo quasi delapsum Imperatorem Augustissimum CAROLUM VI.

- - - Gaudet quô Principe mundus;
Quem populi, quem Regna timent, quem Solis ab ortu
Solis ad occasum submisso vertice cuncti
Suspiciunt, dominumque simul Regemque fatentur:
Nec solùm nostri facilè qui temporis omnes
Prægreditur virtute viros, sed cuncta retrorsum
(Pace loquar veterum) cedunt cui nomina Regum. (a)

(a) Paucis aliquantisper immutatis reperies hæc in GUNTHERI *Ligurino Libr. I. vers. 25. sqq. p. m. 2.*

Ne pagella præsens existeret vacua, subjicimus adhuc alia quædam, Privilegia Imperatoria respicientia
COROLLARIA.

1. Privilegiorum Imperatoriorum codicilli subscribuntur primò ab Ipsô Imperatore Augustissimô; Secundò ab Ejus Regni Archi-Cancellariô, cujus intrà fines commoratur, qui condecorari Privilegiô meruit: ita si Germano Privilegium scribi curavit Augustissimus, Subscriptio ejus spectat ad Electorem Moguntinum, tanquam Germanici Regni Archi-Cancellarium, aut Eô absente ad Ejusdem, quem sustentat in Aulâ Cæsareâ, Vice Cancellarium; Italô si Privilegium tribuatur, recognoscitur id ab Ejus Regni Archi Cancellariô, Coloniensi Archiepiscopô, quô non præsente Imperialis Aulæ Cancellarium munere hoc defungi constat ex adductis ab Excell. Dn. PFEFFINGERO *l.c. Tom. I. Tit. 14. §. 5 not. c. p. m. 1070. 1071.* Diplomatibus. Per Galliam & Regnum Arelatense deniquè si Privilegia largiatur Imperator Augustissimus, cura Subscriptionis spectat ad Horum Regnorum Archi Cancellarium, Trevirensem Archiepiscopum, Ejus verò in absentiâ itidem ad Imperatoriæ Aulæ Cancellarium, cujus rei Documenta exstant apud EUNDEM *l.c. §. 4. not. c. p. m. 1050.* cui jungendus est omninò BERNHARDUS à MALLINCKROT *in Tr. de Archi Cancellar. S. Rom. Imp. Part. II. p. m. 112. &c.* Tertiô deniquè locô eoque infimô, comparet & Subscriptio alicujus eorum, qui, nisi fallor, Imperatori sunt ab Epistolis secretis, cui scilicet in mandatis id dedit Imperator Augustissimus.

2. Diploma ita subscriptum sigillatur quoque & quidem à Taxatore Imperialis Cancellariæ, cui ex Ferdinandi I. Imperatoris Statutô in Seiner Reichs-Hoff-Cantzley-Ordnung de Ann. 1559. rubr. Sonderliche Articul Unsers Taxators Ambt und Dienst betreffen. §. Darauff dann gemeldter incumbit: Daß er alle hohe Regalien / Lehen / was Chur-Fürsten / Fürstenmäßigen gegeben / auch grosse Haupt-Verschreibungen / Adels und andere Freyheiten mit Unserm (Kaysers) grossem / aber deren von Adel / Lehen-Wappen- und andere geringe Gnaden-Brieff mit unserm mittlern Insiegel besiegle teste Jo. GUILIELMO ITTERO *de Feudis Imper. Cap. 11. §. 8. p. m. 597.* Et quidem imprimitur hoc Sigillum ceræ rubræ, quodsi tamen id petierint in rebus gravioribus ornandi privilegiô, & exsolverint prætereà 40. Ducatos pro materiâ, & 6. alios pro confectione, adhiberi etiam sigillum aureum Ill. Dn. SCHWEDER *l.c. Part. Gen. Cap. 2. §. 1. p m. 14.* aliique tradunt, Exemplisque vetustioribus æquè ac recentioribus hoc firmat Excell. Dn. PFEFFINGER *l.c. Tit. 2. §. 13. not. b. p. m. 257.*

3. Impe-

3. Inserta sæpius Imperatoris Augustissimi Diplomatibus clausula: und sich deß alles (anteà percensitorum Jurium singularium) in allen und jeden ehrlichen / redlichen / adelichen / und ritterlichen Sachen und Geschäfften zu Schimpff und Ernst / in Stürmen / Streiten / Schlachten / Kämpffen / Thorniren / Gestechen / Ritterspihlen / Gefechten / Feld-Zügen / Panieren Gezelten Auffschlagen / Innsigeln / Pittschafften / Kleinothen / Gemählden / Begräbnussen / und sonst an allen Orthen und Enden / nach ihren Ehren / Nothdurfften / Willen und Wohlgefallen gebrauchen sollen und mögen. &c.. num id operetur, ut usu etiam longô tempore intermissô ipsum tamen Jus non pereat? Cùm ex nobis nuper quæreretur, affirmavimus, & sententiam hanc nostram in instanti quoque pugnâ Academicâ tuebimur.

4. Imperator Augustissimus, quod creatis noviter Nobilibus defectum generis, (der 4. 8. 16. oder 32. Ahnen) possit supplere, habilesque eos pronunciare, qui ad Canonicatus, Torneamenta, Feuda &c. tot Avos & Proavos requirentia admitti debeant, omninò existimamus, nisi tamen & hos disertè exclusos, nec ulli fictioni locum esse Fundator aut Capitulorum, &c. Leges voluerint; cujus rationes, cùm pagina nos deficiat, conflictui servatas volumus.

S. D. G.

EXPLICIT.

Pag. 13. lin. 19. lege *Personarum. Pag. 14. lin. 2.* verb. *mediatos* subjice Not. (*b*) Confer tamen §. *29. pag. 25. Pag. 17. not. a.* adde: Quod cùm ita sit, principium petit JACOBUS BRUNNEMANNUS *in Exam. Jur. publ. Libr. II. Cap. II. qu. 8. num. 5. p. m. 50.* dum ex eô, quod hinc inde de factô Principes id Sibi arrogant, concludit: Ergò Imperatorem ex merâ permissione Jus nobilitandi exercere in territoriis Statuum. *Pag. 26. nota c.* add. Referuntur communiter hunc in censum ab Imperatore Rudolpho I. Habspurgico Feudis quibusdam Imperii Italicis scripta privilegia & immunitates, eoque nomine communiter Is malè audit Scriptoribus Juris publici & Historicis, adeò, ut & JCtus Pragâ Bohemus, quod miror, ADAMUS PISETZKY à KRANICHFELD *de Stat. Secular. Cap. 1. p. m. 126.* hoc ex capite Juramenti oblivionem Eidem objiciat, cùm tamen vel solum illud Diploma, quod JACOBUS SPIEGELIUS *in scholiis ad Æneæ Sylvii Comment. in Anton. Panorm. de dict. & fact. Alphons. Reg. Arrag. p. m. 286.* in formâ extensâ sistit Imperatorem optimum liberare ab hoc crimine potuisset, cujus patrocinium quoad magnum Ducatum Florentinum, qui maximè objicitur, Ipsi suscipiemus in *Vindiciis Juris Imperatorii in Ditiones Florentinas*, quas Editioni jam paramus.